

bebat, explicanda haec est *αυτοχθονία*. Hac ratione tantum primi homines in terra Graecorum ex sententia eorum orti fuerunt, licet & rudis plebs satis crassos dubio procul de ea habuerit conceptus, cum qua tamen idem sensisse eruditos, nec huius sententiae absurditas, nec ea, quae de *Atheniensium* Philosophorum systematibus scimus, credere nobis permittunt. Homines emunctiorum narium quoque inter *Graecos* gentium migrationes & transitus coloniarum in Graeciam non ignorarunt, quod praecipue ex historicis eorundem patet. Cum *Paulus* omnibus falsis de hominum origine sententiis sua asserta opposuerit, simul etiam his obicem posuit, licet & id facile credamus, de hac singulari sententia ipsum vix separatim eo tempore cogitasse. Quae denique dicuntur de oppositione huius originis omnium hominum ex vnus hominis sanguine erga originem, quam gloriati sunt, ex sanguine diuino, vt Valerius Flaccus *Argon. L. V. v. 126.* canit

— — Est vera propago  
sanguinis, est ollis genitor Deus,  
ea huc vix referri merentur, cum diuinam hominum originem hic inculcare voluerit *Paulus*, ac de confutatione eiusdem verosimiliter non cogitauerit. Origo generis humana Deo sano sensu asseritur, licet incommodam hanc expressionem ex fictitio conceptu ethnicorum de Deo depromptam, ex sanguine diuino oriri, non admittamus. Ipse enim *Paulus* in eodem sermone approbat rite explicatum dictum Arati: *του γαρ και γενεσθ εσμεν. v. 28.* atque exinde legitimas adhortationes deducit.